

est, ut vivente uxore una¹ domum duceret aliam. Qui cum multo tempore in his malis vitam scelestam² duceret, die quadam contigit, quod³ venerabilis pater Oddo a Roma veniens secus domum eiusdem viri iter suum perficeret. Viam vero eandem magna luti praeoccupabat congeries. Igitur qui praecedebant eum, alii⁴ ibidem conciderunt, alii vero cum magna difficultate transierunt. Praedictus vero pater tam securus et immunis idem⁵ transivit lutum, veluti si⁶ equus eius siccum calcaret arvum. Quod factum intuens vir ille scelestus, pedem illius tenuit et, ut in domum suam declinaret, obnixius⁷ deprecatus est. Quod et factum est. Interea virum illum videres⁸ huc illucque discurrere, mensam ponere, servitium impendere et, quemadmodum tanto patri placeret, strenue perquirere. Videns autem praedictus pater easdem mulieres percunctari cepit eundem virum, quid⁹ ad se pertinerent. Ille vero uxores¹⁰ suas [utrasque¹¹] esse professus est. Tunc pater sanctus: 'Elige', ait, 'unam¹² e duabus; aut iuniorem [mulierem¹³] proice, aut de [hac¹⁴] domo tua protinus egrediar'. Nec moram in faciendo vir ille passus est, sed uxorem iuniorem¹⁵ protinus abiecit et reatus sui penitentiam [de bigamio¹⁶] egit. Sicque vir a morte animae patris nostri voce suscitatus est. Sicsic tantos a sepulcris malae concupiscentiae Deo reddidit vivos, quantos nec lingua cuiuslibet promere nec stilus potest¹⁷ explicare.

2. Alio rursus tempore Romam proficiscens devertit in vicum, qui proprie ad Aquampendentem¹⁸ dicitur. Erat autem tempus vindemiae. Interea dum hi, quibus iniunctum erat offitium, emerent, quae necessaria videbantur esse¹⁹, ipse ad ecclesiam comite fratre²⁰ sacerdote, qui ei missam caneret, profectus est. Quam videlicet obseratam cum repperisset²¹, sacerdotem cepit querere, qui eam reseraret. Dictum namque est ei²², quod ecclesiae presbiter alio in loco esset. Quo audito venerabilis pater accessit ad quendam rusticum, qui iuxta eandem ecclesiam paucos racemos in torculari²³ calcabat eumque non dedignatus est rogare, quo sibi clavem deferret ecclesiae? Cui rusticus: 'Obsecro', ait, 'pater, sine [me²⁴] paulisper, quo egeram mustum a torculari²⁵, deinde quod iubes,

1) 'prima' 2. 2) 'scelestem' 2. 3) 'quo' 1; 'contigit, ut die quadam' 2. 4) 'aliqui' 2. 5) 'eundem' 1. 6) 'si' fehlt 2. 7) 'obnixie' 2. 8) 'vid. vir. illum' 2. 9) 'quod' 1; o durch einen verticalen Strich in 'i' corrigiert. 10) Die Worte von 'percunctari — uxores' fehlen 2. 11) Nur 2. 12) 'unum' 2. 13) Nur 2. 14) Nur 2. 15) 'iuvenulam' 2. 16) Nur 2. 17) 'valet promere nec stilus explicare' 2. 18) 'aquam pendens' 2. — Acquapendente an der Grenze von Toscana und Umbrien. 19) 'videb. esse neces.' 2. 20) 'fr. com.' 2. 21) 'repperisset' 2. 22) 'ei est' 2. 23) Nur 'torcolare' 2. 24) Nur 2. 25) 'torcolare' 2.